



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Praxis Episcopalis**

In Qva Episcoporvm Non Tantvm, Eorvmqve Vicariorum munus; sed  
Parochorum etiam & conscientiarum directorium concernentium casuum  
ac dubiorum indies occurrentium Resolviones ... quàm brevissimè  
continentur

**Zerola, Tommaso**

**Coloniae Agrippinae, 1680**

Magister Caeremoniarum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10447**

mentum, ut si quis impetraret beneficium juris patronatus à Papa, sine derogatione, tunc potest per regios officiales impediri, Covar: c. 36, n. 9, prædict: quest.

### MALE ABLATA.

**M**Alè ablatorum restitutio facienda relicta à testatore, potest fieri per hæredes, vel executores relictos ab ipso testatore, tamen cum consilio Episcopi, Covar: in c: nos quidem, n. 8, ver: secundò colligo, de testam. si verò non est datus executor, vel si qui est datus, suspensus est, tunc ad Episcopum pertinet, Host: in c. cùm sit, de testam. & dictum est suprà, in ver: Episcopus, §. 29.

### MAGISTER CÆREMONIARUM.

**P**RIMÒ, an Magister cæmoniarum sit constituendus in qualibet cathedrali?

Secundò, quando incœperunt cæmonia?

Tertiò, à quo fuerunt institutæ?

Quartò, ad quid deserviunt?

Quintò, quis eligendus?

Ad primum respondeatur, quod non solum est utilissimum, sed per necessarium, tum quia ita observat Ecclesia Romana, norma, & magistra omnium Ecclesiarum, & omnes cathedrales bene institutæ, tum quia omnia, quæ sunt, à Deo ordinata sunt, ad Romanos cap: 13, Cantic: c. 2, Ordinavit in me charitatem, & Dion. Areopagita libro quarto

Cælest. Hierar. ipse namque magister cæmoniarum omnia ordinatè in diuinis officiis disponit, velut Ecclesiastica Hierarchia cœlesti æmuletur, ubi spiritus illi cœlestes assistunt coram Deo, & Agno, mirabili cæmoniarum ordine, prout est videre apud Ezechielem, Isaiam, Danielem, Apocalypsi Ignatium, & cæteros.

Ad secundum, in veteri Testamento, Exodii cap. 18. Deut. c. 4, 3, Reg. c. 2. in novo, Ioan: c. 11, Marci c. 7, Luce c. 22, 1. Timoth: cap: 2, Luc: cap: 18. & pluribus aliis locis brevitatis causa omissis.

Ad tertium, fuerunt institutæ, & indistæ à Deo, & à Christo, ab Apostolis, & sanctissimis Patribus ad honorem Dei, & ad utilitatem nostram, prout patebit Doctoribus infra citandis.

Ad quartum. Deserviunt primò ad excitandam nostram somnolentiam à mole corporali ad spiritualia: secundò, à visibilibus ad invisibilium: tertio, ad humiliandam nostram cervicem superbam, illis quippe instruimur, monemur, erudimur, illisque præparamur, & proficiimus in gratia, & charitate, & veluti per gradus quosdam ad divina mysteria evehimur, ut capitio detæctio, elevatio oculorum, extensio brachiorum, aperitio palmarum, prosternentes, manuum junctiones, genuflexiones, reverentiaz, curvationes cervicum, variatio vocis, cantus, tonorum, colorum, thymicta, sufficius, scensiones, stationes, diversitas indumentorum, & ornata, quæ aguntur per ministerium servorum Dei, exorcismis,

012-

orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, inclinationibus humerorum, humilitate pedum, hæc omnia esse sunt, quæ nos reficiunt, vide D. Aug. de Symb. Cathol. lib. 2. c. 2. tom. 9.

Abeant ergo pestiferi hæretici, qui novi recentesque veneruntur, quos non coluerunt patres eorum, qui conantur auferre ritus, & cæmonias ab Ecclesia Dei, contra Dominum, & Christum ejus, Spiritum sanctum, vetus, & novum testamentum, Apostolos, summos Pontifices, sacra Concilia, contra religionis naturam, & consuetudinem hominum, & sententias omnium: insurgat præter cæteros, sacrum Concil. Trid. de cæmonijs in Sacramentis administrandis, sess. 7. Can. ult. de Sacram. in communi. de cæmonijs, & diversis artibus in Missæ sacrificio, sess. 22. cap. 5. & cap. 7. in Sacramento ordinis, sess. 23. Can. 5. in Sacramento matrimonij, sess. 24. Can. 11. de cæmonijs, & ritib. circa Sanctorum reliquias, sess. 25. initio, vide Pignum, lib. 1. Hierar. Eccles. cap. ult. Cather. 2. clavis Scripturæ, Bunderium in compendio concertationis, tit. 27. Brunum, li. de cærem. confessio. Polon. cap. 86. & multa Concilia provincialia, & præcipue Beneventanum, tit. de divin. off. c. 12.

Ad quintum, eligi debet vir gravis, competenter doctus, elegans, studiosus, diligens, benè versatus, & mortigeratus, cum competenti præbenda, prout sit ubique.

PRAX. Episc. Pars II.

## MANCIPIA.

**M**ancipia, Servi, sive Sclavi, ad Senatus Camera Urbis officium, conservatores pro libertate confugientes, libertatem consequuntur, & Romani cives, liberiisque homines efficiuntur. Paul. III. Bul. 2. quæ incipit, Novimus, & Pius V. Bul. 18. quæ incipit, dignum.

## MATRIMONIUM.

Primo, Senes regulariter possunt contrahere matrimonium, dummodo possint erigere virginem viriliter in vas mulieris, & ita ut appetitum carnalem ab utraque parte sedare valeat. similiter & spadones, quia non est de essentia matrimonij, ut ex eo habeatur proles, Navar. conf. 2. n. 6. & 15. de frigid. & malef. & conf. 4. n. 25. de desp. impub. Senes verò, qui non sunt apti ad prædicta præstanta, non possunt contrahere matrimonium, & contractum potest dirimi, Nav. loc. cit. ex Soto 4. sent. dist. 36. q. 1. ad secundum. sed circa spadones, vide Bul. seu declar. Sixti X. sub datum Romæ die 27. Iunij, 1587. pro nuntio Hispaniæ, similiter carens testiculis, modò possit ut suprà, potest contrahere, secus verò non, idem loc. cit. n. 11. 16. & 20.

Secundo, dubitabitur, an parochus, cuius præsentia est de necessitate matrimonij, opus sit, ut sic Sacerdos?

Respondeatur, quod non, Nav. conf. 9. num. 2. de clandest. despens. tamen N aliter